



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

11. Ignis innocentibus idem, qui auro; nocentibus idem, qui stipulæ quam facile consumit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

dum, vixit. In fætu igitur ostendit tum natura ignis, se lædere potuisse; vt in parente doceret, se pepercisse. Cuius rei & Plutar-

Plutar. lib. 4.  
q. q. conui-  
ual. 2.

chus exemplum tradit, militis, qui, Roma, ædem sacram custo- diebat: cuius fulmen prope delapsum ambullit calceamentorum corrigias, neque aliud quidquam incommodi attulit: ac pyxidularum argentearum, quæ lignis inclusæ capsulis erant, argen- tum quidem colliquefactum & conflatum sicut, lignum intactum ac integrum inventum. Quo loco & illud refert author, de fulmi-

ne, quod, Elide, in domum Dorothei rhetoris delapsum, multa mi- racula edidit, dum vim ex dolio exhaustus sitibundum, vase il- lato, & hominem somno stratum transuolans, neque illum offen- dit, neque vestem attigit, sed eius cinctum, in quo succinixerat num-

Psalm. 28. 7.

mos æreos, liquefecit & fudit totum. Verè hæc fuit *Vox Domini intercedens flammam ignis*: nam vim eius intercedit; vt, per inter- ualla, vreret, & parceret, Deoque ad nutum obediret. Quod e- tiam, in miseranda illa Maclinia, conflagratione, fecit, quæ An-

Gilb. Cogn.  
lib. 8. Narrat.

1546. ex fulmine accidit. Apud cauponem, cui nomen Croes erat, coniuæ chartis ludebant, quibus, dum, deficiente zytho, caupo- in cellam descendit, tantus tempestatis extitit impetus, vt auulsa à fundamentis domus, procul abiecta sit, & oppressi lusores, ad- huc chartas manibus tenentes, reperierunt, nemine illius domus salvo, præter cauponem, qui concamerata cellæ beneficio, in- ter dolia, homo fortasse non dolaris seruatus est.

## XL.

Prodest ergo, & defendit ignis innocentes, & laudat Domi- num flamma, quæ ei ancillatur. At etiam offendit? etiam in cineres redigit? Vel innocentessunt illi, quos lædit, vel igne digni. Si innocentess, Laurentios, Vincentios, Pionios, Ca-

Proverb. 17. 3. rolos Spinolas, Apollonias, Afras, Hilarias, Europias, Eu-

Psalm. 16. 3. nomias, Dignas ex eis efficit. Nam, sicut igne probatur argentum,

Psalm. 16. 9. & aurum camino, ita corda probat Dominus; vt dicere possint: *igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas*. Quod si verò elemen-

Psalm. 20. 9. to hoc vñstulantur iniqui, non est id iniquum. Habent quod meren-

Sapiet. 16. 16. tur. Sentiunt quod iustitia his verbis exigit: *Inueniatur manus tua, omnibus inimicis tuis: dextera tua inueniat omnes qui te oderunt.*

*Pones eos ut clibanum ignis, in tempore vultus tui: Dominus, in ira sua,*

*conturbabit eos, & denorabit eos ignis.* Ita iæpius contigit, *Negan-*

ees:

tes enim te (o Deus) nosse impij, per fortitudinem brachij tui, flagellatis sunt: nouis aquis & grandinibus, & pluvijs persecutionem paſt, & per ignem consumpti. Quod enim mirabile erat: in aqua, quia omnia extinguit, plus ignis valebat. VINDEX EST ENIM ORBIS IVSTORVM. Quodam enim tempore mansuetabatur ignis, ne comburerentur, que ad impios missa erant animalia, sed ut ipsi videntes scirent, quoniam Dei iudicio patiuntur persecutionem. Et, quodam tempore supra virtutem ignis, exarcescebat undiq., ut inique terra nationem exterminaret. Quis artifex opere se suo non defendit? suā se hastā protegit hastarius; suo gladio machæropeius; solus Deus mundum fecerit, quo, contra illum, homines vtantur, & ille non vtatur eodem, contra illos? Enim uero pugnabit cum illo orbis terrarum Sap. 5. 21. contra infensatos. Ibunt directè emissores fulgurum, & tanquam à bene curvato areu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient. Quæ omnia, in aliquot tremenda narrationis exemplis ostendimus contigisse.

Primum recenset idem, qui supra laudatus est, Thomás Brabantinus, his verbis: Marchia, in Flandria atq., Brabantia districtu, villa populosissima sita est, in qua dedicatio celebrata multis, ad spectacula & ludos, traxerat. Inter quos, ut à Magistro Guilelmo bono & literato presbytero, & de eisdem partibus nato, percepimus, quidam tibicen erat, qui chorisantes iuuenes & puellas, saltationibus & gesticulationibus suis, ad carmina obscena & turpia, concitatbat. Hinc, calo nibibus circa vesperas obscurato, quiq, ad propria redierunt, solo autem tibicine nondum Iusbus satiato, per viam ad solita remeante, & canente tibia, & saltante, & posteriorum sonitibus turpiter insonante, duo pueri pastores, ubi tonitrua & cornuscationes imminere viderunt, ad dumera fugerunt, & eis evidentibus, in tibicinem fulmen incidit, & extinxit, & eius brachium amputauit. Nec mora, viderunt pueri, quod duo nigrimi canes, ex insperato, venerunt, & inter se pendulum extincti brachium deportarunt. Hec, post tonitrua, nuntiantibus pueris, amici venerunt, & cadaver mortui ad propria detulerunt; Mane autem, dicente presbytero, quia in atrio fideliūm sepeliendus non esset, quem in ludis turpibus, tam notabiliter tonitruum occidisset, responderunt amici: et si extinctus sit tonitruo, tamen ad dedicationem Ecclesia peregrinus, cum alijs, occurrit. Permisit ergo Presbyter, et si dolens, ut in atrio sit

XII.  
Thom. Can-  
tiprat. lib. 2.  
apum. cap. 62.  
§. 4.

D sepultus.